

opprobrium Christi. Expende illud, Nisi prius in se nequitia spiritualis Aegyptium interfecisset.

De Eleemosyna faciendâ.

QUESTIO XXV.

Quare Christus docet in presenti, quod per eleemosynam omnia mandantur?

128. Postquam Christus D. tradidit superiorem doctrinam de lucerna accensa rogavit quidam Phariseorum ut manducaret cum illo inde graviter Dominus Phariseorum vitia arguit, ac reprehendit, ut explicavi supra Matth. 23. adducto etiam Textu Lucæ; & inter cetera dixit Christus num. 41. Verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: Aiquæ versiones sunt in hac materia, quas statim in explicacione adducemus.

129. Aliqui sunt graves authore, ut Caiet. Didac. Stella, noster Guido Carmelita, Emmanuel Saa, qui existimant hæc esse dicta à Christo per Ioniam; ac si dicat Christus: Vos ô Pharisei, pleni estis rapina, iniquitate, verumtamen existimatis, quod per eleemosynam omnia vobis sunt munda. Tamen communis Antiquorum & Recentiorum est sententia. D. Cypriani, lib. 3. ad Guilia. Tertull. lib. 4. contra Marcion, cap. 26. D. Augustin. Bafil. Euthym. Theophylact. Bedæ, & aliorum, qui omnes ironiam hic non agnoscunt, sed remedium valde aptum ad expurganda peccata. Ut Daniel. 4. dedit Nabuchodon, ut & Christus D. docuit Phariseos infra Luc. 16. num. 9. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

130. Ea verba: Quod superest date eleemosynam, Theophylactus legit: Ea qua insunt: nempe in corde vestro excutite ab eo, & date: Euthymius: De his qua adsunt, date: id est, de vitis repositis, date Syriacus: Id quod est vobis, date: hoc est, id, quod est vobis, & habetis, date, Arias: Inexistencia date: id est, de his, quæ existunt, & sunt pro vobis, date eleemosynam. Un ait Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 27. Date, qua habetis in eleemosynam, & omnia sunt vobis munda.

131. Retentâ tamen lectione nostræ Vulgæ quatuor modis exponi potest: Verumtamen, quod superest, date eleemosynam: Lyranus: facta restitutione rapinarum, de quibus locutus fuerat Dominus: Quod superest, date. Secundò: Beda, Strabus, Hugo: Quod superest vobis, vestitui vestro, date; & pro hac sententia D. Gregorius citatus à Gratiano 12. q. 1. cap. Quia, Tertio, Toleros tenet, quod Inexistencia opponatur externis, quæ de foris sunt. Dixit Christus n. 30. Vos ô Pharisei maxime dediti estis, ut cum interius pleni sitis rapina, & iniquitate mundatis exteriora, catinos, & calices, cum maxime mundanda sint interiora,

factâ restitutione de ablati, per eleemosynam. Quarto, & maxime genuine, ut verit Arabicus; Ante omnem rem. Et nostra vulgata. Quod superest: In tot & tantis peccatis vestris unicum, & saluterum vobis superest remedium; date eleemosynam Ita Beda, D. Bonavent. Franciscus Lucas, Maldonatus, & alij.

Subdit Christus, Et omnia munda sunt vobis: tam interna, quam externa munditia, interior manat in exteriora; eleemosyna maxime disponit ad mundandam conscientiam remissione peccatorum; per eleemosynam impetratur à Deo gratia excitans ad penitentiam, & contritionem; & inde Angelus dixit Tobie 12. num. 9. Eleemosynam à morte liberat, & ipsa est, qua purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam: Ac proinde per eleemosynam omnia sunt munda, si eleemosyna debito modo fiat cum fide, & penitentia; sicut salus ac vita æterna tribuitur à Christo Paulo fidei, nempe, formæ penitentia, ac charitate: Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus. Et sapiente Christus D. contra vitia Phariseorum opponit eleemosynam, ut contraria contrariis curentur, Eleemosyna maxime opponit ut avaritiæ, rapinæ, & odio fratrum quibus vitis Pharisei maxime dediti erant.

Quanta verò munditia nobis veniat ex eleemosyna, audi Petrum Damianum Opusculo. 9. cap. 8. qui sic ait: O virtus eleemosyna, qua velut fontem fontis irrigui, & peccatorum inquinamenta detergis, & astuantium vitiorum flammam extinguis. O felix eleemosyna, qua de gehenna barathro renebrarum filios extrahis, & adoptatos luci perpetua regnis caelestibus introducis. Tu de facinorosis sub criminum squalore conspicuos, tu de damnabilibus sanctos tu facis de gentibus Christianos. . . que omnium peccatorum rubiginem purgat, frementium vitiorum incrimina mortificat. Ecce quam promptum, ac efficax remedium habemus ad manum, eleemosyna ad vitia ex ipsa, ad æstom libidinis extinguendum, ad vitam comprandam æternam. Unde p. rebelle dicit Eusebius Emilianus homil. 10. ad Monachos: Noli despiciere inopem, qui cum sibi pauper sit, facere te divitem potest.

Ait Christus D. Matth. 11. num. 2. Regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: Et quis est tam potens, ut violentiam inferat regno caelorum; Et quis tam fortis, & astutus, ut cum violentia illud rapiat; Hæc tota violentia provenit ex voluntate divina, qui ex sua infinita pietate sic allicitur, ac affici ut ad eleemosyna ipsa, ac si veluti quandam vim perteretur, ut caelorum janua eis pateant, sic ad eos inclinatur, ut secum illos habeat, & recipiat. Petrus Damianus citato opusculo 9. cap. 8. ait: Eleemosyna Deum facit hominibus debitorem, ut regnum sibi caelorum, non jam quasi quod alienum est, querant; sed veluti, quod sui juris est, audacter invadant: O gratia Deo violentia, quæ ipsum ex sua bonitate facit debitorem, & ut eleemosynarius in caelum audente invitatur, tanquam in rem suam: Ut regnum sibi caelorum non quasi, quod alienum est querant.

Venerunt duo Angeli Sodom. Cum Loth videret

disset eos, surrexit, & obviam eii, & dixit: Obsecro, Domini mi, declinate in domum pueri vestri. Genes. 19. num. 1. Valde magnifica, ac populosa civitas erat Sodom; & tamen in ea unus tantum inventus est Loth, qui peregrinos recipiat ad hospitium, eisque panes offerat & nulla alia virtus ipsius Loth refertur in tota Scriptura, nisi hæc tantum; & cadente igne de caelo in tota civitate unus Loth cum tota sua familia evasit: Et quoniam hujus rei causa: Loth aperuit ostium pauperibus, ut panes

daret, & inde clausit igni; ut ab eo evaderet; ceteri clauserunt ostia pauperibus, ac peregrinis, & inde aperuerunt igni, ut ab eo devorerentur, ac consumerentur. Origenes, homil. 5. in cap. 19. Genes. ait: Loth in Sodomis habitabat alia ejus bene gesta non legimus; Hospitalitas in eo sola ex usu veniens memoratur. Evasit ignes, evasit incendia ob hoc solum quod domum suam paraverat hospitibus, hospitalem domum Angeli ingressi sunt, clausas hospitibus domos igni ingressus est.

Genes 19. Misericordia pauperi exhibita omnem felicitatem comparat.

Origenes.



CAPUT XII.

1. MULTIS autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cepit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis: 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur: 3. Quoniam, quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aures locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis: 4. Dico autem vobis amicis meis: Ne timeamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: 5. Ostendam autem vobis quem timeatis: Timeate: eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timeate. 6. Nonne quinque passeret veniunt dispendio, & unus ex illis non est in oblivione coram? 7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pleris estis vos: 8. Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: 9. qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei: 10. & omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi, ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur: 11. Cum autem inducent vos in Synagogas, & ad Magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. 12. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 13. Ait autem ei quidam de turba, Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. 14. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? 15. Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos dicens: Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit. 17. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. dixit. Hoc faciam; destruam horrea mea & majora faciam: illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea: 19. & dicam animæ meæ. Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe epulare. 20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ parasti; cujus erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. 22. Dixitque ad discipulos suos ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis; neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca: & corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pleris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis: quid de cæteris solliciti estis. 27. Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent, dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem scœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei? 29. Et vos nolite querere, quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli: 30. Hæc enim omnia gentes mundi querunt: Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verumtamen querite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. 32. Nolite timere pusillus grex quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. 33.

Oo 4 Vendite,

Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis: quod fur non appropriat, neque tinea corrumpit. 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, 36. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis: ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabat, illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. 39. Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati; quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicitis hanc parabolam: an & ad omnes? 42. Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus, supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus invenerit ita facientem. 44. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituer illum. 45. Quod si dixerit servus ille in corde suo Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere servos, & ancillas, & edere, & bibere; & inebriari: 46. veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. 47. Ille autem servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se preparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus vapulabit multis: 48. qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo: 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? 50. Baptismo autem habeo baptizari; & quomodo coarctor, usque dum perficiatur? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis: sed separationem. 52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una diversi, tres in duos, & duo in tres. 52. dividuntur pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nutus in socrum suam. 54. Dicebat autem & ad turbas. Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbis venit: & ita fit. 55. Et cum austrum stantem dicitis: Quia æstus erit, & fit. 56. Hypocritæ faciem caeli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? 57. Quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est? 58. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne forte trahet te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

ARGUMENTUM cum Remissionibus.

Primò, Vers. 1. Docet fugiendam esse hypocrisim, seu fermentum Phariseorum de quo dixi supra Matth. 16.
Secundò, Vers. 4. Docet non esse timendos homines, qui corpus possunt occidere, sed Deum, qui animam potest perdere; & quod nihil sit occultum, quod non reveletur, de quo egi tomo 3. cap. 9. de quo etiam supra Matth. 10.
Tertiò, Vers. 13. Constitutus à quodam judice super hæreditatem paternam à se dimittit: Quod hîc est explicandum

Quartò, Vers. 15. Monet cavendam esse avaritiam, ac multam sollicitudinem temporalium victus, ac vestitus, quod explicavi tom. 2 in Evangelia cap. 17. de quo etiam dixi supra, Matth. 6.
Quintò, Vers. 16. Proponitur parabola de divite avaro cogitante de multis annis ad epulandum; de quo dixi tom. 4. cap. 21.
Sextò, Vers. 32. Suos cotroborat, quòd non timeat pusillus grex, quia complacuit Patri dare eis regnum, inde suadet eleemosynam esse dandam, quòd hîc est explicandum.
Septimò, Vers. 35. Docet lumbos esse præcingendos cum lucernis in manibus, ut simus parati

raui ad diem mortis, & judicij: quod jam explicavi tom. 4. cap. 22.
De fideli autem servo jam dixi supra Matth. 24.
Octavò, Vers. 49. Affirmat se venisse, ut ignem, crucem, & separationem inter cognatos in terram mittat. Tractavi tom. 3. cap. 10. & supra Matth. 10.
Nonò, Vers. 50. De Baptismo, quo debeat baptizari, dicam hic infra.

Hæreditas dividenda.

Luc. 12. n. 13. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.
Num. 14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos.

VERSIONES.

Syriacus. n. 13. Quidam de turba dixit, Doctor, dic fratri.
Persicus. Quidam de media turba.
Æthiopicus. Ut partiatur mihi hæreditatem.
Persicus. n. 14. O homo, quis, me vobis judicem, aut partitorem constituit.
Æthiopicus. Tu amice mi, dic mihi.

EXPOSITIO I.

1. DIXIT autem ei quidam de turba: Erat iste homo communis, ac vulgaris, & sine nota; ideo dicitur de turba; & ut notat Lyranus inconvenienter, ac intempestivè loquitur interruptens Christi sermonem; qui de spiritualibus agebat, & contemnere secularia docebat. Magister: Albertus Magn. convenienti voce utitur, magistrum dicens; ad eum confugiebat, ut diceret, quæ de jure erant; sic & D. August. serm. 196. ait, quòd iste loquitur ad Christum ut judicem, in qua sententia est Tolerus: At Maldonatus tenet, quòd loquitur ad Christum tanquam verum Messiam, & Regem temporalem: Tamen aptior mihi videtur expositio Barrad. Menochij, & aliorum, quòd iste loquitur ad Christum tanquam ad communem Doctorem, ac virum sanctissimum, cujus monita apud fratrem multum prævalerent: Mecum hæreditatem: Hæreditas dicitur ab inherendo, quia ex majoribus inheret descenditibus, ac posterioribus, ut tradunt Jurisperiti.
2. At ille dixit illi, Homo: Hominem appellat, utpote terrenum, ac temporalia sapientem; Quis me constituit judicem, aut divisorem super vos. Verum est, quòd ipse constitutus erat

à Deo Patre Dominus Dominantium, ac Rex Regum, & omnium judex vivorum, ac mortuorum; tamen tunc missus erat à Patre non ad componendas controversias, & lites forenses; sed ut de salute animarum ageret; & ideo noluit diverti à negotio sibi commissò à Patre, ut de re minus expediente, ut de temporalius tractaret. Sic ait Ambrosius in præsentì: Bene à terrenis declinat, qui propter divina descenderat. De quo latius q. 7.

QUÆSTIO I.

Quare Christus D. hunc postulantem cum fratre divisionem, hominem appellat?

SCRIBIT in præsentì Noster Evangelista, quòd quidam de turba dixit ei: Magister, dic fratri meo, &c. cur facer Evangelista non exprimit, quisnam esset iste homo? an ex domo nobili? an ex Senatu gravi? an ex ordine Levitico, vel Sacerdotali; Neutrum erat, nam si talis esset non divisionem, & contentionem quæreret, sed unionem, ac pacem: Sed erat homo de plebecula ac sine titulo honorario: & ideo rapiebatur ad hæreditatem, & contentionem. Petrus Damian. lib. 1. Epistol. 18. ad Alexandrum II. sic ait: Notandum, quòd Lucas præmisit; quidam de turba, &c. Tu itaque non ut Levites, vel Clericus, sed ut de turba vulgari, laicus interrogat JESUM: Ut ibi cum fratre subeant hæreditatem dividi: Ac si velit dicere, quòd ab abjectissimo homunculo venit pacem scindere, divisionem quætere.

Ad quæstionem: Cum ergo iste rogaret Jesum: Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem: Christus D. statim in primo verbo responsionis, cum hominem appellat: O Homo, qui me constituit judicem? Cur eum non proprio nomine dicit, vel cur non respondet nullo nomine interposito, ut sepe reperimus in Evangelio? Sicut quando quidam princeps eum bonum appellavit: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo: Dixit autem ei Jesus; quid me dicit bonum? Luc. 18. n. 18. Sic & quando unus adolescens de vita perfecta interrogavit; Ait illi Jesus si vis perfectus esse, vende, quæ habes: Matth. 19. num. 21. sicut & ad Magistrum circa interrogatorem de primo mandato: Dixit illi Jesus, rectè respondisti: Luc. 10. num. 3. si in aliis multis nullo abjecto nomine responderet: Cur ergo cum isto verba faciens hominem dicit: O homo, qui me, &c.

Primò, præclare respondet D. Augustinus serm. 6. ex variis, & ait. Non audit fratrem contra fratrem interpellatum: & dicentem: Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. Et Dominus respondens, dic homo, quare ergo vis dividere, nisi quia homo? Cum enim dicit alius: Ego quidem sum Paulus; alius autem: ego Apollo nomine homines estis? 1. Corint. 3. num. 4. Ideo homo appellatur iste, quia à fratre divisus erat, alias non homo, sed Dei filius, & divinus Spiritus germane proles diceretur; & quia ipse affectu humano rapiebatur